DOCTORI SERAPHICO PAUPERCULAE MINORITICI ORDINIS...

Geremia Martellini



DOCTORI SERAPHICO

PAUPERCULÆ MINORITICI ORDINIS FAMILIÆ

SPLENDORI FULGENTISSIMO, CATHOLICÆ FIDEI, ET ECCLESIASTICÆ DIGNITATIS VINDICI ACERRIMO, PRÆSULI SANCTISSIMO

DIVO BONAVENTURÆ

EPISCOPO ALBANENSI

ET S. R. E.

CARDINALI EMERITISSIMO

PATRONO SUO SINGULARI

SE HASQUE SUAS THEOLOGICAS PROPOSITIONES IN PERENNE HUMILLIMÆ DEVOTIONIS ARGUMENTUM

D. D. D.

P. F. JEREMIAS MARTELLINI

A CREMA

ORD. MIN. REC. OBSER. S. P. FRANCISCI, PROVINCIÆ BRIXIENSIS ALUMNUS, ET IN PATAVINO S. FRANCISCI MAGNI-LYCEO S. THEOLOGIÆ AUDITOR.

Cuilibet Professori, ac Doctori, post tertium, contradicendi jus esto.

PRÆFATIO.

NIhil fortasse delectius, opportunius nihil in hac teterrima temporum conditione judicaverim, Auditores Ornatissimi, quam de plane Divina Christianæ Religionis origine, præstantia, necessitate; de Ecclesia, de Romano Pontifice, deque Conciliis in Scholis disserere, publicisque concertationibus, in quibus veluti in palæstris ii, qui in Sacræ Militiæ athletas fortissimos ad tuendam Fidem ac vindicandam comparare se se debent, & exerceantur & roborentur, ut inde invictissimo muniti ejusdem Fidei clypeo, potentissimisque instructi omnigenæ eruditionis, solidæque doctrinæ armis, non gliscentes modo, sed etiam audacissime ubique gentium grassantes perditorum hominum præcipuos errores adoriantur, profligent, conterant, dispergant. Annon enim eo maxime spectant subdola hominum iniquorum Sophismata, conatus, irrisiones, ut fontes illos vivificos, ac feracissimos, e

* qui-

quibus uberrimæ hauriuntur aquæ cælestis sapientiæ in vitam salientes sempiternam, inficiant opinionum suarum pravitate, turbent, corrumpant, aspernentur? Nonne videmus hinc impudentem Incredulorum turbam, qui ne ulli suæ injiciant fræna licentiæ, sed ut liberius, securiusque indulgeant voluptuosis cupiditatibus, easque nullo aspergant æterni supplicii, Deique vindicis amarore, Divinam quamque excutiunt Religionem, ac veritates omnes, quas afflante Superno Spiritu Prophetæ, Apostoli, Christus ipse nobis tradidêrunt: illinc pervicacem Novatorum, vel etiam assentatricem Politicorum cohortem, ex quibus alii Ecclesiam, scilicet immaculati Agni sponsam sine ruga, ac sine macula renitentem, calumniis, conviciis, maledictis proscindunt; alii ipsam, in qua ceteroqui ~~suis in muniis Jus summum~~ inest, Juri adeo produnt subjiciuntque Civiliam Potestatum, ut non Mater libera, qualem prædicat Apostolus, sed ancilla, notisque servilibus ad dejectionem, infamiamque distincta esse videatur? Quid de Romano Pontifice dicam, cujus Supremam in Ecclesiam universam Jurisdictionem, Auctoritatemque minuunt æquo nimium, vel etiam prorsus eliminant, & quidem non ii tantum, qui propalam velutique ex instituto heterodoxæ, quam profitentur, Religionis, sed illi quoque, proh infandum scelus! illi, inquam, ipsi, qui puriorem sanctioremque affectant Disciplinam, sententiarumque Pa-

trum

trum se se plenis buccis, & scriptis jactitant acerrimos vindices, ac restauratores obsequentissimos? Quid de Sacris Conciliis? Novi equidem Hæreticos homines eadem flocci facere, & aspernari; immo vero atrocissimam in ipsa bilem totis faucibus evomere, eo scilicet perditissimo consilio, ut vel novos erroris discipulos sibi per summum nefas adsciscant, vel sectatores suos in jam hausta digestaque detineat perfidia. Sed hos dimittamus, habeamusque, secundum Christi Domini institutionem, tamquam Ethnicos, & Publicanos. Illud maxime dolendum, quosdam scilicet, qui erant in nobis, sed non ex nobis, veluti lupos rapaces non parcentes Gregi Christi, insurrexisse adversus Concilia etiam Œcumenica in iis præsertim, quæ ipsorum damnatis erroribus sunt opposita, dumque ad futurum Concilium interponunt, vel saltem approbant Appellationem, jam habita, firmata, omnibusque Orthodoxis cujusvis Ordinis Ecclesiasticis viris probatissima contemnere, vel fraudulenter ad suas partes trahere, ac contorquere. O turpem notam temporum! Eja igitur, viri sapientissimi; quid moramur? Hos omnes sanctissimæ Religionis nostræ osores confertis in unum consiliis ac doctrinis sancte persequamur, defatigemus, conteramus, ut vel saniora tandem aliquando sapiant, quo equidem nihil optabilius, vel ad minus fidelium animis, quos Deus Optimus Maximus summa beneficentia sua ad miraculum,

lum,

lum, quasi dixerim, hactenus sibi servavit insontes, pestilentissimum virus, quod longe, lateque diffusum est, haud subrepat in futurum. Atque utinam tanta in me esset doctrinæ copia, tanta argumentorum vis, ac robur, tanta denique fandi, certandique potestas, ut facinus tam grande, tam egregium, tamque catholico viro dignum, & aggredi, & prosequi, & absolvere, ut par est, valerem. Sed cum vires ad tantum opus mihi deesse sentiam; quod aperto marte nequeo, intra augustos Sacri hujusce loci, vestrique conspectus limites præstabo. Adstet mihi dicenti, opemque ferat suam Seraphicus ille Doctor Sapientissimus ac Sanctissimus BONAVENTURA, *vere Israelita sine dolo, cujus doctrina concrevit sicut pluvia, & ut ros fluxit eloquium, quasi stillæ super gramina, ~~quique perpetuo insectatus~~ est Fidei hostes, devicit, profligavit. Ad vos, quod attinet, Auditores ornatissimi, illud haud dubie mihi polliceor, nempe, ut maxima vestra, qua soletis, humanitate me disputantem sustentetis, ac foveatis. Dicebam.*

DE

MILITANTE CHRISTI ECCLESIA.

De ea Ecclesia, quam pretioso suo Sanguine Christus fundavit, quæque columna est, & firmamentum veritatis, adversus quam portæ inferi nunquam prævalebunt, pro nostri instituti ratione, ipsiusque Ecclesiæ dignitate, agentes, eam ita cum Bellarmino describimus: *Cœtum hominum viatorum, unius ejusdemque Fidei Christianæ professione, & eorumdem Sacramentorum communione adunatum sub regimine legitimorum Pastorum, & præcipue Romani Pontificis.* I.

Quam descriptionem, contra blaterantes tum veteres, tum recentiores Hæreticos, veluti accuratam, ac legitimam definitionem habemus. II.

Nec in ea definitione, etsi legitimorum Pastorum mentionem faciat, no- III.

vi, ac inauditi vel tantillum offendere est, ut Launojus comminisci audet. *Illi*, inquiebat olim Cyprianus, *sunt Ecclesia*, *plebs Sacerdoti adunata*, *& Pastori suo grex adhærens* (1).

IV. Existere vero ejuscemodi Ecclesiam, seu Religionem, qua homines unam Fidem profitentur, unumque Deum signo sensibili, seu sacramento colunt, is concedat oportet, qui Deum in omni genere perfectissimum, rerumque omnium conditorem, ac moderatorem providentissimum esse concedit: facultates enim, quas a Deo accepere homines, ad ipsius gloriæ declarationem referendas teneri natura universa clamat.

V. Verum illius Ecclesiæ, seu Religionis speciem, naturamque, quod a libera Dei voluntate pendet, quæ humana ratio scrutari, aut assequi potest, nisi Deus ipse manifestet? Ergo solus Deus est immediatus auctor Ecclesiæ.

VI. Atque hinc quis non derideret Atheos, Incredulos, Deistas, aliosque Religionem ipsam, & Ecclesiam hominum inventum, & opera arbitrantes?

VII. Doctrinæ, quam Ecclesia profitetur, in-

(1) Epist. 69. ad Pupianum.

inſcrutabilis altitudo, & myſteria, faten-tibus Naturaliſtis, ſuperant hominum ca-ptum, ſuntque extra aciem humani in-genii: ergo ea ratiocinando inveniſſe Philoſophum ſupponi non poteſt, alias comprehenſum ingenii ſui fœtum, & ideas haberet.

Jam vero ſi nullius hominis ratio quam- VIII.
tumvis acuta, myſteria hæc attingere va-leat, nec imaginandi vis, ſeu facultas in-telligendi, quæ non niſi circa objecta vel ſenſibus nota, vel intellectu comprehenſa verſari poteſt, reconditam myſteriorum naturam proſequi ullo modo valet: ergo velle in ea imaginando forte incidiſſe phanaticum, idem eſt, ac leges naturæ evertere.

Item, faventibus Incredulis, myſteria IX.
hæc repugnant hominum propenſionibus: ergo nec ex iiſdem originem trahere po-terant, nec unquam obtinuiſſent homi-num approbationem, nec quiſpiam in iiſdem ſuam poſuiſſet Religionem, niſi Divina confirmata eſſent auctoritate.

Incomprehenſibilitas ergo Doctrinæ X.
Chriſtianæ, miſſis cæteris argumentis, ejus originem omninò Divinam eviden-ter oſtendit.

Atque Evangelicum conſilium hominis XI.

ad Religionem instituendi non per naturalem rationem, quæ, lacrymosa experientia teste, erroribus undique scatet; sed per Fidem, humanum dici, & esse nullo pacto potest.

XII. Convictis, atque ita derisis Incredulis, non minus deridemus Judæos nullum Religionis nostræ, & Ecclesiæ vestigium antiquis temporibus extitisse autumantes. *Omnes enim, qui ab initio sæculi fuerunt justi, caput Christum habebant . . . & in ejus Fide & ipsi sanati sunt, in cujus & nos: ut esset & ipse totius caput civitatis Jerusalem* (1).

XIII. Quare contendimus Ecclesiam substantialiter sumptam extitisse ab ipso Mundi exordio in lege naturæ, & scripta.

XIV. Immo eo progressi sumus, ut ab ipsismet præcise Protoparentibus nostris Adam, & Eva potius, quam vel Abel, vel Enos, vel alio quovis, contra nonnullos etiam Catholicos, Ecclesiæ ipsius initium auspicemur.

XV. Verum quoad completam, perfectamque sui formam auctorem habere dicimus Christum Dominum:

XVI. Qui consummatis figurarum umbris, trans-

(1) Aug. Conc. 3. in Psal. 36.

traslato Sacerdotio, insimulque Lege, novam instituit Ecclesiam veteri longe perfectiorem, eamque mirabiliter ædificavit, perfecit:

Atque dum inter homines conversatus est, nedum spiritualiter, ut præ cæteris Pseudocatholicus Marcus Antonius de Dominis blasphemabat (1), sed etiam visibiliter per extrinsecum supremi Capitis ministerium ipsam Ecclesiam gubernavit, rexitque: XVII.

In tuto re adversus Incredulos, atque Judæos posita, Heterodoxos aggredimur, quos inter & nos Catholico-Romanos nullum dissidium est, ubi agitur de existentia Ecclesiæ, sed maximum cum inquiritur, quænam, & apud quos sit vera Christi Ecclesia. Ast quis felicem exitum tam pergrandis controversiæ obtinebit, nisi ex utraque parte certæ quædam notæ, atque characteres præsupponantur, quibus a quacumque alia hominum falsa societate vera Ecclesia secernatur? XVIII.

Hæ vero notæ supponantur necesse quoque est tam propriæ veræ Ecclesiæ, ut omnes collective sumptæ alteri societati convenire non possint; tam manife- XIX.

 stæ,

(1) In Op. de Republica Christiana.

124

ſtæ, ut verum medium ſint ad eam demonſtrandam; tam ſenſibiles, & cognitu faciles, ut omnes etiam rudes ad ipſam Eccleſiam, & Fidem adducantur; tam inſeparabiles ut certam notitiam *evidentiæ credibilitatis* parere poſſint.

XX. Novatores ergo in meridiana luce cæcutiunt dum ſinceram Dei prædicationem, atque legitimum Sacramentorum uſum pro notis Eccleſiæ aſſignant. Utrumque in vera Dei Eccleſia agnoſcimus, ſed cum *ſinguli quique Hæreticorum cœtus ſe potiſſimum Chriſtianos, & ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putant* (1), & habere puram Chriſti Doctrinam, ejuſque Sacramenta, hoc commune omnibus Hæreticorum Sectis, Eccleſiæ notam eſſe negamus.

XXI. Quid ergo? Altius exordiri debet, atque cum Conſtantinopolitanis Patribus, quibus adverſarii noſtri refragari non poſſunt, illam profiteri veram Chriſti Eccleſiam, quæ eſt *Una*, *Sancta*, *Catholica*, & *Apoſtolica*.

XXII. Ad Eccleſiæ Unitatem quod ſpectat, hanc diviſionem non pati, ſimulque reſpicere tum Doctrinæ Fideique unitatem,

cum

(1) Lactan lib. 4. Inſt. cap. 29.

cum Sacramentorum, subjectionisque legitimis Pastoribus fidenter sustinemus.

Cumque, Apostolo clamante, sicuti XXIII.
unus est Deus, ita una est Fides, desipuere sane quotquot cum Petro Jurio, posita divisione inter fundamentales, & non fundamentales Fidei Articulos, in istis, licet non in illis, unicuique sentiendi, prout maluerit, potestatem factam contendunt; quasi verum non esset, quod quicumque *offendit in uno factus est omnium reus* (1).

Qui ergo in aliquo vel in minimo Fi- XXIV.
dei dogmate publice, aperteque Ecclesiæ Christi Unitatem dividit, ad eam non pertinet, & *alienus erit a numero filiorum*: nec *habebit Deum Patrem, qui noluerit Ecclesiam habere Matrem* (2).

Perperam proinde omnino, sicuti & XXV.
cæteri, qui hanc indivisam Unitatem scindunt, atque extra ipsam sunt, æternæ salutis consecutionem sibi adblandiuntur. *Neque enim vivere foris possunt, cum Domus Dei una sit, & nemini salus esse, nisi in Ecclesia, possit* (3).

Vah!

---

(1) Jacob. cap. 2.
(2) Aug. lib. 4. de Symb. ad Catechum. cap. 13.
(3) Cypr. Epist. 62. ad Pomp.

XXVI. Vah! impium æque ac paradoxum Novatorum, atque Incredulorum Indifferentismum, seu Tolerantismum Religionum!

XXVII. Itaque vera Christi Ecclesia una est: una autem omnibus recensitis numeris exornata, sola est Romano-Catholica Ecclesia; ad quam *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio* (1).

XXVIII. His firmata, atque confecta veræ Christi Ecclesiæ Unitate, ejus Sanctitatem expendimus, atque ex eo deducimus, quod *pro ea seipsum tradidit Christus, ut illam sanctificaret* (2), quodque in ea *nihil turpe, ac flagitiosum spectandum, imitandumque proponatur* quoad mores, *sed veri Dei præcepta insinuentur* quoad Doctrinam Fideique professionem, *miracula*, quæ sæpe sæpius hæc omnia confirmant, *narrentur, dona laudentur, & beneficia postulentur* (3).

XXIX. Dum vero pro uno ex Sanctitatis characteribus miraculorum virtus a nobis

sta-

(1) Iren. lib. 3. adv. Hær. cap. 4.
(2) Eph. 5.
(3) Aug. lib. 2. de Civ. Dei cap. 28.

ſtatuitur, ne rerum multitudine obruamur, ſuppoſita eorum poſſibilitate, & exiſtentia, quod & Adverſarii admittere debent, unum tantum propugnamus, ſigna eſſe miracula veram Eccleſiæ Sanctitatem demonſtantia.

XXX. Hoc novere atque facto ipſo aliquando confeſſi ſunt Heterodoxi, immo vel Mahumetani ipſi, quo acti conſilio tentarunt miracula in ſuæ religionis confirmationem patrare. Verum id ipſis, ut Apoſtolis, atque Apoſtolicis viris, qui de *mortuis vivos faciebant*, non contigiſſe, ſed potius, ut de *vivis mortuos faciant*, compertum eſt (1).

XXXI. Operam ergo perdunt Sectarii omnes, illuduntque incautis tantum, dum hanc pulcherrimam Sanctitatis dotem ſuis reſpectivis Sectis congruere prætendunt.

XXXII. Velint enim, nolint Sectarii, quicumque illi ſint, concedant eſt opus hac *Sanctitatis* prærogativa Romanam Eccleſiam gaudere, eamdemque ſolam, ut oportet, ſanctam eſſe.

XXXIII. Verum ſi de membris Eccleſiæ ſermo inſtituatur, ſcitu dignum puto, quod *ubicumque commemoravi Eccleſiam non habentem* *ma-*

(1) Tertull. lib. de Præſcript.

maculam, aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed quæ præparatur, ut sit, quando apparebit, etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias, & infirmitates membrorum suorum habet unde quotidie dicat: Dimitte nobis debita nostra (1); sed hoc ejus Sanctitati non officit.

XXXIV. Recta deinde progrediens Catholicam, seu *per universum orbem diffusam, a finibus terræ, usque ad extrema* (2) Christi Ecclesiam demonstramus nedum propter generalem ejus moraliter sumptam, diffusionem, verum ob universalitatem ejusdem Doctrinæ, atque Communionis tam permanentis, quam successivæ.

XXXV. Num vero Protestantium conventicula, quæ respectu temporis nova, loci arctis limitibus circumscripta, doctrinæ varia sunt *inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit* (3), hac diffusione gloriari possint? ipsi viderint.

XXXVI. Alios, quemadmodum olim Donatistas, ra-

---

(1) Aug. lib. 2. Retract. cap. 18.
(2) Cyril. Jerosolym. Catech. 18.
(3) Tertull. lib. de Præscript. cap. 42.

rationum vi pressos ut eam declinarent, eo insaniæ devenisse novimus, ut, contra luculentissima Scripturarum, ac Patrum testimonia, ausi sint proferre veram Christi Ecclesiam in paucis conservari. De paucitate gloriantur! Nonne *Parricidæ & pauci, & pessimi sunt* (1)? Impium sane deliramentum!

Ast vero Ecclesia Romana & semper, & ubique est, & in ea quoad suas Ecclesias particulares, *etsi in Mundo loquelæ dissimiles sunt, tamen virtus Traditionis una eademque est. Et neque hæ, quæ in Germania sunt fundatæ, Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ, quæ in Hiberis, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Lybia, neque hæ, quæ in medio Mundi constitutæ* (2); ea sola ut interest hac Catholicitate donatur. XXXVII. *

Denique Apostolicam veram Christi Ecclesiam illam tuemur, a qua *traducem Fidei, & semina Doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur* (3), & in qua nunquam interrupta fuit XXXVIII.

(1) Aug. lib. 2. Op. imperf. cont. Jul. cap. 3.
(2) Iren. lib. adv. Hær. cap. 10.
(3) Tertull. de Præscript. hæret. cap. 20.

suit series legitimorum Pastorum, *qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt* (1).

XXXIX. Bene habet. Sed quænam hac prærogativa gaudet Ecclesia? Novatores more suo multa in unum congerunt, ut suam societatem Apostolicam ostendant. Sed, si sani esse velint, *edant ergo origines Ecclesiarum suarum*, quoad doctrinam: *evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem & successorem* (2). Possunt imperitis fucum facere, ~~sed suæ desperatæ~~ causæ præsidium ullum habere non possunt.

XL. Ut hoc jugulum, quod maximum vel ipsi sensere, effugiant, Apostatæ homines Lutherus, & Calvinus, impudico ore debacchabantur se extraordinarie missos fuisse a Deo ad Ecclesiam Christi reformandam. Monstrum! exposcimus equidem, ut hujus extraordinariæ missionis characteres nobis ostendant.

Sed

(1) Iren. lib. 4. cap. 24.
(2) Tertull. de Præscript. cap. 32.

Sed ſudent, ſeque præ rabie, ac furore contorqueant male feriati homines, tamen contra ipſos fidenter propugnandum tam characteriſticam veræ Chriſti Eccleſiæ notam, ut eſt Apoſtolicitas, Eccleſiæ Romanæ eidemque ſoli congruere. Illa eſt in qua *tenet me ab ipſa ſede Petri Apoſtoli . . . uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum* (1). XLI.

Ad invidiam ergo Romanæ Eccleſiæ conflandam procaciter calumniantur Novatores, Eccleſiam Romanam aliquid addidiſſe Apoſtolicæ Fidei, aut immutaſſe in ea, interruptamque fuiſſe legitimorum Paſtorum ſucceſſionem. XLII.

Igitur Romana Eccleſia hiſce characteribus exornata, Unitatis ſcilicet, Sanctitatis, Catholicitatis, & Apoſtolicitatis, merito centrum eſt, & vinculum Catholicæ Communionis; proindeque ſola Romana Eccleſia vera Chriſti Eccleſia renuncietur. XLIII.

Hæc porro Eccleſia, præter notas, quibus ab aliis diſtinguitur ſocietatibus, ſuas numerat proprietates, viſibilitatem, nempe, indefectibilitatem, auctoritatem, & infallibilitatem. XLIV.

Nos

(1) Aug. contr. Epiſt. Fundam. cap. 4.

XLV. Nos quidem devictis usque modo Adversariorum armis sperabamus, quod veram Christi Ecclesiam nobis ultro concederent; sed aliis pugnant armis, nosque ad bellum iterum provocant, allatas Ecclesiæ dotes ausu temerario impugnantes. Ajunt itaque primo cum Luthero Ecclesiam Christi esse *margaritam absconditam, & sola fide perceptibilem*, seque tum in doctrina, cum in aliis Ecclesiæ characteribus succedere illis piis, sanctisque hominibus, qui in medio Ecclesiæ uti sub paleis triticum delitescebant: quare cum ipsi semper, dicunt, veram Christi Ecclesiam constituerint, hanc modo transisse ad Novatores jactant. Sed heu perfidia, & absurda vesania!

XLVI. Ecclesia enim non Angelorum, sed hominum est societas, quæ in externis, & visibilibus signis consistit. Est *civitas supra montem constituta, quæ certum signum hoc habet, quod abscondi non potest* (1); immo *facilius est solem extingui, quam Ecclesiam deleri* (2); visibilis proinde semper fuit, & esse debet.

XLVII. Cum vero Ecclesia Romana ex dictis sit

(1) Aug. lib. 2. con. Lit. Petiliani cap. 104.
(2) Chrysost. Hom. 4. in cap. 6. Isaiæ.

sit vera Christi Ecclesia, perspicuum est dotem hanc illi soli vere, ac proprie ita congruere, ut inter omnes alias societates, per totum orbem singulari quadam, constanti, ac eminenti claritate, omnium tam filiorum, quam extraneorum oculis præfulgeat.

Quæ cum ita sint, nonnisi summam inscitiam ac temeritatem Novatorum mirari possumus, tam impudenter effutientium, Ecclesiam, qua parte est visibilis, aliquando defecisse, aut deficere posse: quasi Christus specialem sui assistentiam ei pluries pollicitus non sit; quasi portæ inferi adversus eam prævalere nonnunquam possint; quasi verum non sit, *Ecclesiam usque ad finem Mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti; tentari, non superari* (1). XLVIII.

Ad tertiam Ecclesiæ dotem, quam auctoritatem volumus, properantes, hanc in Ecclesia extare, atque necessario admittendum esse controversiarum Fidei judicem, concordes Novatores habemus. Sed sciscitanti quisnam ille sit, incerti quo pedem figant, veluti spiritu vertiginis acti, crassis antilogiis se implicant, nunc- XLIX.

** que

(1) Hieron. in cap. 8. Amos.

que Sacram Scripturam, nunc spiritum uniuscujusque hominis privatum, modo Principes Sæculares, interdum etiam Ecclesiam supremum controversiarum Fidei judicem statuisse novimus. *Sed væ his Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum*, spiritum contradictionis, *& nihil vident . . . divinant mendacium* (1), non sapiunt veritatem.

L. Scripturæ Sacræ equidem auctoritatem summam habemus, profunditatem veneramur, adeoque tanquam certam, & infallibilem Fidei regulam, normamque statuimus.

LI. At *mare est Scriptura Divina, habens in se sensus profundos, altitudinem Propheticorum Ænigmatum* (2), &, quoad legitimum sui sensum non est ubique locorum ita aperta, & perspicua, ut sola per se sufficiat ad lites componendas, quemadmodum experientia omnium ætatum comprobatum est, sed judice, & interprete indiget.

LII. Ergo *non ad Scripturas provocandum est*, ubi agitur de Fidei controversiis; *nec in his constituendum certamen, in quibus aut nul-*

(1) Ezech. 13.

(2) Ambros. Epist. 2. *alias* 44. ad Constantium.

nulla, aut incerta victoria est, aut par incertæ (1).

Num vero spiritus cujusque privatus, LIII.
renuntiandus est vivus judex, qui tuto, quæ credenda sunt, definiat? Proh somniantium delitamentum! Quisnam in hoc systemate controversias unquam terminare posset? nonne quilibet Hæreticorum spiritum suum jactat, aliisque præponit? quis non diceret, rempublicam fuisse nullam stultius constitutam, quam Christi Ecclesiam? Ergo *nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos . . . visionem mendacem, & divinationem, & fraudolentiam, & seductionem cordis sui prophetant vobis* (2).

Nec quoque audite eos, qui Princi- LIV.
pem Sæcularem, judicem controversiarum Fidei divinant. *Es quidem*, o Princeps, *Dei Minister*, eaque de causa gladium portas, *vindex in iram ei, qui malum agit* (3); tamen *ne te rebus misceas Ecclesiasticis, non nobis his de rebus præcepta mandes, sed a nobis potius hæc edişcas. Tibi Deus*

(1) Tert. de Præscr. cap. 19.
(2) Jer. 23. & 14.
(3) Rom. 13.

Imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit. (1).

LV. Quare, viam monstrante D. Augustino, atque dicente, *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas* (2), firmum, ratumque habemus, supremum controversiarum ad Religionem spectantium judicem Ecclesiæ competere, eandemque solam ejusmodi esse.

LVI. Et jure optimo. Nam Ecclesia, cui portæ inferi non prævalebunt (3), cui qui obedit, atque eam audit, Christum audit (4), & cui data est potestas docere omnes Gentes, & servare omnia quæcumque mandavit ei ipse Christus, nec non promissa jugis Spiritus sui assistentia usque ad consummationem sæculi (5), Ecclesia, inquam, in rebus Fidei, & morum infallibilis est.

LVII. Et quoniam duplicem Ecclesiæ partem aliam passivam, seu in credendo, aliam activam, seu in definiendo agnoscimus, utramque sic complectimur, ut veram Chri-

(1) Sribeb. Osius Episc. Cordub. ad Const. Imp. apud S. Athanas. Ep. ad Solitarios.
(2) Aug. Lib. contra Epist. Fundam. cap. 5.
(3) Matth. 16.
(4) Luc. 10.
(5) Matth. ultim. & Joann. 14.

Christi Ecclesiam laudata infallibilitate gaudere propugnemus.

Verum illam inerrantiæ prærogativam, quæ activa appellatur, universis tantum Episcopis, etsi per totum Orbem dispersis, inesse, contra & veteres & recentiores nebulones sustinemus: neque enim Christus pollicitus est assistentiam suam consociationi corporum, sed animorum, & *videmus Episcopos de aliis atque aliis temporibus, atque regionibus ab Oriente & Occidente congregatos non in locum, quo navigare cogantur homines, sed in Librum, qui navigare possit ad homines* (1). LVIII.

Quid? his tantum limitibus Ecclesiæ infallibilitatem coarctabimus? Nonne Apostoli & disciplinam generalem non diu duraturam (de qua agitur Act. 15.) præcipientes, dixere, *visum est Spiritui Sancto, & nobis &c.*? Quis ergo hoc constanti Sancti Spiritus influxu nullo non tempore adjutam Ecclesiam in rebus generalis disciplinæ omnes afficientis præcipientem infallibilem non profiteretur? LIX.

Nec minus confidenter profiteri debet, LX.

(1) Aug. lib. 2. contr. Julian.

bet, ipsam Ecclesiam in Beatorum Canonizatione non posse errori esse obnoxiam. In hoc cultum, & universalem, & ad mores spectantem agnoscimus: *quare, si in illis erraret Ecclesia, in moribus quoque graviter falleretur; nec differt Diabolum colas, aut hominem condemnatum* (1).

LXI. Atque hinc deducimus contrarium in mox laudata re sentientes, erroneitatis, temeritatis, scandali, simulque impietatis notam effugere haud posse, cum *insolentissimæ insaniæ sit* (etiam) *disputare, an sit faciendum, quod tota facit Ecclesia* (2).

LXII. In celeberrimam hic, eamdemque amplissimam, magnaque apud Orthodoxos ipsos ingeniorum contentione agitatam quæstionem incidimus, utrum scilicet Ecclesia sit infallibilis in censura librorum, seu in factis dogmaticis, & doctrinalibus. Antequam mentem nostram hac in re aperiamus, Ecclesiam etiam in Conciliis congregatam damnasse hæreses, & hæreticos, pro certo habemus tum ex Conc. Nicæno (3) anathema denuntiante Ario, ejusque nefa-

(1) Canus lib. 5. de locis cap. 5. conclus. 3.
(2) Aug. Epist. 118.
(3) Epist. Synod. ad Eccl. Alexand.

fariæ doctrinæ, quum etiam, cæteris prætermissis, ex Chalcedon. act. 6. ita damnante Nestorium, Eutychem, & Dioscorum: *Trinitas hos tres damnavit, Trinitas hos tres ejecit.*

Qua Ecclesiæ praxi, ac declaratione confisi, pronuntiare non dubitamus, *pertinere ad puritatem fidei, atque doctrinæ, damnare hæreses cum suis auctoribus* (1), adeoque ipsam Ecclesiam, in factis dogmaticis esse falli nesciam. LXIII.

In tanta luce Ecclesiæ, etsi per totum orbem dispersæ, posita infallibilitate, veluti sua sponte fluit, consensum Episcoporum Romano Pontifici adhærentium in Fide speciatim, vel moribus, esse omnino infallibilem regulam Fidei. LXIV.

Hinc quis non videt intolerabilem Appellantium ad futurum Concilium superbiam, quasi non sufficeret consensus Episcoporum, dispersarumque Ecclesiarum? *Hæreticorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum . . . hanc etiam captare gloriam intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur, idest totus orbis ob unius homunculi errorem, aut ambitionem commoveatur* (2). LXV.

(1) Leo scribens ad Syn. Chalcedon.
(2) Aug. lib. 4. ad Bonifacium cap. ultim.

LXVI. His, quæ hucuſque exaravimus, bene perſpectis, manifeſtum eſt, Eccleſiam adinſtar corporis & quidem vivi, ut notat D. Aug. (1), ſe habere, conſtare ſcilicet anima, quæ ſupponit Spiritus Sancti dona, fidem, ſpem, charitatem &c., & corpore, quod importat externam fidei profeſſionem, Sacramentorumque communicationem ſub legitimis Paſtoribus. Verum nos uſitatam Sacræ Scripturæ, & Patrum phraſim ſequentes, Eccleſiam ſimpliciter quoad corpus æſtimamus, ejus membra eſſe, in eaque contineri intelligimus eos omnes, quos exterius ad ipſam pertinere cernimus. Homines enim ſumus, de externis judicare debemus. Deus ſolus cordis ſcrutator eſt.

LXVII. Sed jam de natura atque eſſentia, notis, proprietatibuſque hujus corporis ſeu Eccleſiæ cum jam ſatis egimus, ut de ejus membris agamus recta expoſtulat methodus. At mirum, qua in hoc quoque pugnandi, fallendique arte polleant Hæretici! Cum videant ſuſtineri non poſſe, Eccleſiam Chriſti extendi ad omnes, & ſingulas baptizatorum ſectas hæreticas, & ſalutem æternam reſtringi ad ipſam

(1) In breviculo collationis, collat. 3.

ipſam ſolummodo Romanam Eccleſiam, contendunt inde vel ſolos prædeſtinatos, vel ſolos juſtos perfectoſque homines illam ipſam componere; ideoque cum in Romana Eccleſia ſint etiam injuſti, & peccatores, illam traducunt uti falſam, & meretricem Babylonem. Quis toleret impudentiam?

Non inficiamur quidem Prædeſtinatos omnes ad Eccleſiam referri; ſed cum in externis Eccleſiam conſideremus (LXVI), ſolos prædeſtinatos eſſe ejus membra Gregalibus Confeſſionis Auguſtanæ concedere non poſſumus. Sane *ſecundum præſcientiam Dei, & prædeſtinationem, quam multæ oves foris; quam multi lupi intus, & quam multæ oves intus, quam multi lupi foris?* (1). LXVIII.

Quo ſemel conſtituto patet Prædeſtinatos omnes ad Eccleſiam quidem referri, non tamen ſingulos actu in Eccleſia ſupponi. LXIX.

Quid de juſtis? Nonne Eccleſia reti comparatur, qua piſces omnis generis colliguntur, & Arcæ Noeticæ, quæ omnium animalium genera ſuſcipit, & Areæ, quæ continet paleas ſimul cum tritico? Num vero LXX.

ſoli

(1) Aug. Tract. 45. in Joann.

ſoli juſti profitentur Fidem Chriſti, ipſique de Sacramentis participant? Ergo non ſolum juſti, & perfecti, ſed etiam, etſi magni, peccatores adſunt in Eccleſia.

LXXI. Vah! Novatianorum, Donatiſtarum, atque etiam Lutheranorum Confeſſionis Auguſtanæ Syſtema, aſſerens Eccleſiam bonis tantum, juſtis, ſanctiſque hominibus, qui Chriſto non ſolum fide, ſed etiam charitate, & gratia ſanctificante conjuncti ſunt, conſtare!

LXXII. Vah! & illud Pelagianorum effutientium Eccleſiam in hac mortalitate ex iis tantum perfici, qui nullum omnino, nec leve quidem habent peccatum! *quaſi non ſit Chriſti Eccleſia, quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum: dimitte nobis debita noſtra* (1).

LXXIII. Occurrunt modo Hæretici occulti, de quibus quid ſentiendum cum Aug. nodum ſolvimus, qui Hom. 16. in Joann. ait: *Iſti ſunt numero, non merito: ſpecie, non virtute: commixtione corporis, non vinculo ſpirituali: carnis adjunctione, non cordis ſocii unitate: utrumque verum, & ex nobis, & non ex nobis: ſecundum communionem Sacra-*

(1) Aug. lib. de Hær. cap. 88.

cramentorum ex nobis, secundum suorum proprietatem criminum, non ex nobis.

Idem sentimus de occultis Schismaticis, qui *omnes ex nobis exierunt, id est, ex Ecclesia exeunt . . . Si antequam exirent, non erant ex nobis; multi intus sunt, non exierunt, & tamen Anti-Christi sunt... Sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali* (1). Ergo ad corpus & imperfecte dumtaxat, non ad animam Ecclesiæ pertinent. LXXIV.

Verum quamvis ita de Hæreticis ac Schismaticis occultis sentiamus, tamen satis mirari non possumus extitisse alios, oppositam viam tenentes, tam audaces Novatores, qui in ea Ecclesia, quam calumniari, & procaciter insectari non verentur, se contineri effutiunt. Quid enim magis unitati Fidei adversum quam hæresis? Omnes ergo publici, ac manifesti Hæretici Ecclesiæ membra nullo jure esse possunt. LXXV.

Eadem animi firmitate Schismaticos quoque publicos ac manifestos confodimus, atque a vera Christi Ecclesia sejungimus. Illi sunt, qui *deserta matre Catholi-* LXXVI.

(1) Aug. Tract. 3. in Epist. Joann.

lica, impii Filii dum foras exeunt, & se separant . . . a radice matris Ecclesiæ, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abscedunt (1).

LXXVII. Sejungit quoque a se Ecclesia & peccatores perversos juste excommunicatos excommunicatione majori, & per ipsam *excommunicationem separat ab ovibus sanis ovem morbidam, ne per plures serpant dira contagia* (2).

LXXVIII. Tandem venit oratio de non baptizatis, quorum alii Infideles, alii Cathecumeni nuncupantur. Primi Ecclesiæ sermonem non receperunt, adeoque nec appositi sunt per Baptismum ad Corpus Christi, quod est Ecclesia, cujus de iis, qui foris sunt, non est judicare (3).

LXXIX. Cathecumeni vero, seu qui adhuc fidei doctrinam audiunt, & charitatem saltem inchoatam habent, affectu & animo Ecclesiæ adhærent, detestantur infidelitatem, & per varia pietatis, & instructionis exercitia ad Baptismum, quem nedum susceperunt, disponuntur, etsi actu,

(1) S. Optatus, lib. 1. contra Parmenian.
(2) Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 15.
(3) 1. Cor. 4.

actu, & perfecte inter vera Ecclesiæ membra haud connumerantur, tamen potentia, & initiative ad ipsam Ecclesiam pertinent.



DE

DE
SUPREMO ECCLESIÆ CAPITE.

LXXX. ECclesiam Corpus esse, habens præter sua membra, de quibus rem perfecimus, suum quoque caput, de quo modo acturi sumus, ex præjactis omnibus manifestum est. Supremum vero, ac essentiale Ecclesiæ caput esse Christum Dominum, quem Deus dedit supra omnem Ecclesiam (1), ut sit in omnibus ipse primatum tenens (2), quique eam per se instituit, gubernavit, rexitque, exploratum habemus (XV. XVII).

LXXXI. Ipsum vero Christum ex hoc mundo discessurum ad Patrem, aliud constituisse supremum, semperque visibile totius Ecclesiæ caput, tanquam suum in terris Vica-

ca-

(1) Ephes. 1.
(2) Coloss. 1.

carium, qui propria dispositione, ac regimine oves gregemque custodiret, & regeret, unitatemque sua auctoritate, sublato omni schismate, omnique hæresi, servaret, ne Ecclesia Christi, sua divina Sapientia fundata, inordinata Babylon diceretur, item pro certo tueri debemus.

Petrus hujusmodi est *inter duodecim unus electus, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio* (1); ipse enim est fundamentum totius Ecclesiæ, cum Petra, supra quam a Christo, quoad omnimodam sui perfectionem, ædificata est Ecclesia (Matth. 16.), Divus Petrus sit, & dici debeat. LXXXII.

Petro item vere, & principaliter claves a Christo traditæ sunt (Matth. 16.): ergo & suprema potestas in universam Ecclesiam. LXXXIII.

Tandem eidem Petro Christus (Joan. 21.) curam universalis Ecclesiæ commisit pascendi *prius agnos, deinde oves, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit .... Omnium igitur Pastor est, quia præter agnos, & oves in Ecclesia nihil est* (2). LXXXIV.

Stu-

(1) Hieron. lib. 1. contra Jovin.
(2) S. Eucher. Lugdun. Episc. in Serm. de Natal. Apost. Petri, & Pauli.

LXXXV. * Stupidus ergo, & excors ſit oportet, qui non agnoſcat, planeque fateatur, jure divino S. Petrum primatu non ſolum ætatis, vocationis, charitatis, honoris, & ordinis, ſed etiam auctoritatis, juriſdictionis, & dignitatis in univerſa Eccleſia potitum fuiſſe.

LXXXVI. Acatholici tamen ſtupiditatem ſuam malunt in conſpectu tantæ veritatis detegere, dum omnes Apoſtolos eandem prærogativam obtinuiſſe perſuadere conantur, quam meridianam lucem nobiſcum intueri. Miſeri! Ergo ſine ordine fuiſſet Apoſtolicus ordo, & Eccleſia Chriſti ſine capite. Quare fatemur Apoſtolos omnes pares quidem fuiſſe ratione Apoſtolatus, non tamen ejuſdem cum S. Petro auctoritatis, ac dignitatis.

LXXXVII. Nec minus ſtupidos eos agnoſcimus, qui Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum ita duos fuiſſe Eccleſiæ Principes comminiſcuntur, ut inter ipſos omnimodam ponant æqualitatem ſine Pauli ſubjectione ad Petrum in regimine univerſalis Eccleſiæ. Eccur ergo ipſemet Paulus Jeroſolymam ſe contulit, ut præ cæteris videret Petrum? *Quia os Apoſtolorum Petrus erat, Princeps, & vertex ipſius cœtus* (1).

Vin-

(1) Chryſoſt. Hom. 37. in Joann.

Vindicata D. Petri ſuprema auctoritate hoc loci, diſquirendum ducimus, num ipſe aliquando Romæ fuerit, eamque Cathedram fundaverit, & ad obitum uſque rexerit, ut inde quid Romano Pontifici hereditario jure competat, videamus. LXXXVIII.

Antiquiſſimam, univerſalem, totque ſæculorum conſecratam traditionem de Romano D. Petri itinere, primus Marſilius Patavinus ſæculo XV. vellicare auſus eſt. Incredibilis temeritas! Adeo firmis hæc traditio fulcitur argumentis, ut vel ipſorum Proteſtantium periti eam amplius non negent. LXXXIX.

Atque iiſdem nos utentes armis aperta fronte tuemur, quod in urbe Roma Petrus, poſtquam Antiochenæ Sedis fundator ac rector extitit, Cathedram Epiſcopalem Deo diſponente collocaverit, fixeritque. Qua enim alia ratione Romana Sedes S. Petri Cathedra ſemper in Eccleſia Catholica appellata fuerit? XC.

Poſtremo ipſe *Simon Petrus . . . Romam pergit, ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit uſque ad ultimum Neronis annum . . . a quo & affixus Cruci, martyrio coronatus eſt, capite deorſum verſo* (1). Quid clarius de Petri in Roma- XCI.

***

(1) Hier. de Viris Illuſtr.

mana Cathedra ad obitum usque permansione? Similia habet Tertullianus, Lactantius, Eusebius, alii.

XCII. Hæc quum ita esse perspexerimus, primatum D. Petro collatum a Christo, atque juxta sui promissionem usque in finem mundi duraturum, in alios Petro succedentes jure divino derivare, ut in antecessum positis recte insistatur, merito certitudine Fidei propugnamus.

XCIII. Is vero, qui Petro in ipsius primatu succedit, est Romanus Pontifex verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Pater, & Pastor, ut perpetua, atque constanti Ecclesiæ traditione, Patrumque sententia comprobatur.

XCIV. Verum ordinem successionis Romani Pontificis potius quam cujusque alterius in Pontificatum Petri, non ex primaria Christi institutione in Evangelio expressa, sed ex facto Petri sedem Romæ figentis, vel supposito quod Petrus nullam sedem particularem sibi unquam elegisset, ex institutione Ecclesiæ, ortum habuisse arbitramur.

XCV. Ergo in *Romana Ecclesia* ad providendum unitati Ecclesiæ adversus Schismata, Fidei contra errores, disciplinæ contra

tra

tra morum corruptelas, *ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus* (1), qui non honoris tantum, ſed & veræ juriſdictionis primatum ſupra omnes fideles, vel etiam Epiſcopos obtinet.

Abſit ergo eorum opinatio, qui Romani Pontificis juriſdictionem ſupra Epiſcopos inficientes, omnem debitæ ſubjectionis ac dependentiæ nexum, qui inter Epiſcopos ipſos, Romanumque Pontificem ratione primatus hereditario jure in ipſo transfuſi, intercedit, abrumpere conantur. XCVI.

Epiſcopos quidem omnes, *qui pro Chriſto legatione funguntur* (2), debito honore veneramur; curamque etiam univerſæ Eccleſiæ ipſis commiſſam fuiſſe eo ſenſu profitemur, quatenus charitatis vinculo unus alteri opem ferre debeat in ædificationem corporis Chriſti, & omnes ſimul non *diviſe* ſed *collective* accepti univerſalem Eccleſiam gubernare, & unuſquiſque pro ſua parte univerſalis Fidei puritatem cuſtodire, juxta illud S. Cypriani: *Epiſcopatus unus eſt, cujus pars a ſingulis in ſolidum tenetur*, ſed non parem XCVII.

cum

---

(1) Aug. Epiſt. 162.
(2) 2. Cor. 5.

cum Romano Pontifice, aliis Episcopis jurisdictionem tribuimus.

XCVIII. Immo, & libenter fatemur, Episcopos omnes Apostolorum esse successores, sed ratione tantum Episcopatus, non Apostolatus; adeoque ipsorum jurisdictio non in totum mundum, quam Apostoli auctoritate Apostolatus & extraordinaria exercebant, sed intra certos fines ac Dioeceses circumscripta est, ut pascant, qui in illis est, gregem Dei (1), nec unus in alterius messem falcem immittat, ne Ecclesiæ pax, & unitas turbaretur.

XCIX. Quam quidem Episcopalem jurisdictionem, quæ ab earundem Dioeceseon attributione dimanat, exercere nequeunt, nisi ab Ecclesia, vel Romano Pontifice missionem legitimam, veramque ordinationem obtinuerint. Id recta Catholicorum ratio sentit, id vel Episcopi ipsi fateri debent, nisi velint cathedram adversus Cathedram erigere, vel a Cathedra Petri se tandem divellere.

C. Igitur *Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas* unitatem, fidem, moresque tuendi, *tot*

in

(1) D. Petr. 1 Epist. 5.

in Ecclesiis efficientur Schismata, quot Sacerdotes (1). Qui aliter sentiunt, quique *Vicarii Petri, & in eo Petri, & Christi decreta christiana contemnunt, quærant igitur alias Regni Cælorum portas, quia certe per illas non intrabunt, quorum claves Petrus Apostolus portat* (2).

(1) Hier. in Dial. advers. Luciferianos.

(2) S. Anselmus Cantuar. Episcop. Præf. ad lib. de Incar. Verbi, Urb. II. nuncup.



DE
CONCILIIS.

CI. De Conciliis Ecclesiæ novissimo acturi loco, illud in antecessum constitutum volumus, juxta communem loquendi modum, Concilium vocari Congregationem Prælatorum Ecclesiæ legitima auctoritate convocatorum ad tractandum de rebus Ecclesiæ gravioribus. Quare si ex una Dioecesi fiat, *Diœcesanum*; si ex una Provincia, *Provinciale*; si ex integra Natione, *Nationale*; si tandem ex toto Orbe, *Œcumenicum*, seu *Generale* Concilium appellatur. De Œcumenicis tantum, quæ sola ad Fidem, & ad totam Ecclesiam spectant, sermonem ita instituimus, ut brevi numero, quoad fieri poterit, ne plus æquo longiores simus, omnia complectemur.

CII. Cumque ex Cypriano (1) Ecclesia sit in

(1) Epist. 69. ad Pupianum.

in Episcopo, & si quis cum Episcopo non est, in Ecclesia esse non possit, consequens est, Ecclesiam in Conciliis Œcumenicis repræsentari.

Ecclesiæ totius, quæ a Solis ortu, usque ad occasum extenditur, Caput, Pastor, & Princeps est tantum Romanus Pontifex (XCIII). Eidem ergo sicuti divino jure competit potestas regendi Ecclesiam, ita & convocandi universalia Concilia. CIII.

Quare ipso Pontifice invito ac reluctante, nec ullo modo convocationi ab alio factæ saltem consentiente, Concilia, exceptis casibus extraordinariis, celebrari non possunt. CIV.

Figmentum est ergo illud Novatorum effutientium, jus convocandi Concilia Generalia ad Principes Sæculares pertinere. Num ipsorum est spiritualiter gregem pascere, aut spiritualem auctoritatem supra totius orbis Episcopos exercere (cum temporalis ipsa eorum potestas extra ditionem suam non extendatur), aut controversiis Fidei se se immiscere? CV.

Celebrantur autem Concilia aliquo Præside. Quid Novatores? ut Romano Pontifici vim omnem surripiant, jus præsidendi Conciliis Imperatoribus, aut aliquo CVI.

co-

eorum auctoritate misso tribuunt. Immane commentum! Romanus Pontifex ex Divina institutione primatum obtinet in universa Ecclesia (XCV.); solius proinde Pontificis Romani est proprie de jure vel per se, vel per suos Legatos, Conciliis præsidere.

CVII. Sed quinam ad Concilia convenire debent? Aliqui Novatorum eo insaniæ deveniunt, ut doceant omnes etiam apparitores, & carnifices *Divino jure* ad Concilia pertinere, ac posse in iis, ut *Fidei Judices*, & disciplinæ Statores, una simul cum Episcopis sedere. Sed absit impudentia omnibus retroactis sæculis inaudita!

CVIII. Alii, qui Catholici esse volunt, hoc probrosum esse agnoscentes, jus istud secundi Ordinis Sacerdotibus, maxime Parochis tribuunt. Procaces homines! ad antiquitatem semper appellant, & doctrinam toti antiquitati prorsus ignotam magnifice usque ad cælos exaltant.

CIX. Catholicum ergo dogma est, Episcoporum tantum, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei (1), esse, de jure convenire ad Concilia, atque in iis

jure

(1) Act. 20.

jure & quidem Divino decisivum suffragium ferre.

Veruntamen Cardinales, etsi non Episcopi, aliqui Abbates, ac Generales Ordinum, jure quodam ac privilegio, ut factum est etiam in Concilio Florentino, in iis decisivum votum habent. Interveniunt & alii, sed tantum vel ut Consultores, vel ut Defensores, vel ut Ministri. CX.

Etsi vero Episcoporum tantum sit Concilium, tamen ut omnes omnino totius orbis intersint, freti exemplo omnium Conciliorum, nullam necessitatem esse sustinemus. CXI.

Quare ut Œcumenica rite censeatur Synodus, sequentia summatim in unum collecta requiri volumus, scilicet, ut convocatio sit generalis, omnibus saltem majoribus Ecclesiæ Provinciis innotescens, nec ullus Episcoporum, nisi justa de causa, excludatur; ut tot sint, quot ad cæteros repræsentandos sufficiant, ipsique gaudeant libertate suffragiorum (immo omnibus vel ipsis Hæreticis datur libertas, opiniones suas proponendi, ac tuendi); ut veritas cum debita diligentia inquiratur, juxta illud Act. 15: *cum autem magna conquisitio fieret*; utque tandem Romani Pontificis aucto- CXII.

158

ctoritate, ac chirographo sit confirmatum; nec enim ullum Concilium est, cujus Patres more Nicænorum Romanum Pontificem ita non alloquantur: *quidquid constituimus in concilio Nicæno, precamur vestri oris consortio firmetur.*

CXIII. Hæc audientes, furentes insurgunt Vetustatum Prædicatores, atque pro legitimo Generali Concilio nunc consensum ab universo Fidelium corpore in *solidum* requirunt, nunc de sufficienti Episcoporum convocatorum numero dubitant, nunc eos, qui Concilio interfuere, non satis de Ecclesiarum, quarum Episcopi sunt, traditionibus instructos fuisse suspicantur, ac sexcenta alia, quæ piget referre. Heu miseri mortales! Cur tot morositates, totque sapientes dubitationes? Forsan ne tam facile eorum doctrina, quæ vetera destruit, & nova non custodit, unquam damnari posse videatur? Divinent sapientiores.

CXIV. Nos tamen omni jure propugnamus, quod *eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris*, multoque magis Laicis, absque ulla morositate, ac dubitatione *obaudire* oportet, *his, qui successionem habent ab Apostolis; qui cum Episcopatus successione charismata veritatis secundum beneplacitum Patris*

ac-

acceperunt (1). Nam Concilia legitime juxta expoſitum a nobis ſenſum celebrata, in definitionibus ad Fidem, & ad mores pertinentibus errare non poſſunt: Eccleſiam repræſentant, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis.

CXV. Aſt licet Conciliorum infallibilitatem tueamur, tamen iis ſubſcribere haud poſſumus, qui abſolutam Conciliorum neceſſitatem eo fortaſſis conſilio prædicant, ut cum damnatos ſe ab Apoſtolica Sede viderint, ad futurum Concilium, ut ad ſummum Tribunal Eccleſiæ appellent: quaſi novis in dies inſurgentibus hæreſibus noviſque oppetita, Eccleſia impiorum machinis, etſi in Conciliis non ſit congregata, portæ inferi prævalere poſſent adverſus eam: *quaſi nulla Hæreſis aliquando, niſi Synodi congregatione, damnata ſit, cum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis* (convocandi Concilium generale) *extiterit: multoque ſunt, atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic* (Romæ) *improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt* (2). Atque hæc hactenus.

---

(1) Iren. lib. 4. cap. 26.
(2) Aug. lib. 4. ad Bonif. cap. 12.

Dum hæc diſputabantur Patavii in Templo S. Franciſci Magni, 1799. Menſe Julio Die 26 Hora 5½ Cathedram moderabantur P. P. Philippus a Moſtar, Joannes Baptiſta a Clarano, & Auguſtinus a Fojnicza S. Theol. Lectores Generales.